

satisfactio partis, si ejus lesio adsit. Si autem nequeat prestari, aut eam pars nolit, licta est absolutio sine illa, ut si clericus percussus, aut alius damnificatus condonet, vel nolit acceptare oblatam congruentem satisfactionem. 4. Absolvens recitare debet unum ex psalmis penitentialibus flagellando interim in humeris (nisi sit femina) censuratum; & deinde dicere preces in rituali positas. Hæc solemnitas deservit pro censura publica absolvenda; pro occulta vero sufficit exactio juramenti in peccatis enormibus, & satisfactio partis.

74. Inq. 2. An absolutio data a delegato non satisfacta parte sit valida? R. Si delegatio habeatur absque ulla limitatione valida est, quia valet uti potestate sine ulla restrictione. Idem est, si illam habeat sub modo præceptivo, aut instructivo, vel sub monitione de satisfacienda parte, quia omissio modi non irritat actum. Si autem delegatio fiat sub conditione sine qua non, de parte satisfacienda, hæc omissa, absolutio nulla est, quia illa præmissa, & non aliter est delegata facultas. Tandem si aliud in delegatione non exprimitur, nisi quod fiat satisfacta parte, probabilius validam censeo absolutionem: quia præsumitur facultas delegata juxta formam juris, ubi dicta conditio non apponitur ut limitatio potestatis, sed ut notificatio obligationis, hoc est, ad licitum, non ad validum. Patet hoc in procuratore, cui delegatur facultas contrahendi matrimonium nomine alterius præmissis denuntiationibus, qui si omissis illis contrahat, valide, esto illicite ob datam rationem contrahit.

75. Inq. 3. An absolutio a censuris vi, aut metu extorta sit valida? R. neg. Constat Ex cap. Absolutionis, de his, que vi, metuve causa. Ubi nulla declaratur absolutio sic extorta, & extorquens ipso jure sententiæ excommunicationis subjicitur. Pariter absolutio extorta fraude, aut dolo circa ejus causam motivam est nulla, ut si fiat se recessisse ab hæresi, aut parti satisfacisse, eam ita non sit, quia omnis gratia subreptitè obteuta nulla est. A quibus censuris possint absolvere Episcopi, Prælati regulares, & cæteri Confessarii, diximus agentes de casibus reservatis, & de privilegio Bile cruciatæ.

76. Inq. 4. An in articulo mortis possit absolvere a censuris laicus, vel clericus non Sacerdos in defectu Sacerdotis? R. neg. Quia nullibi reperitur hæc potestas concessa non Sacerdotibus. Sed cum aliqui id eis concedant, non est objurgandus saltem clericus, qui, deficiente Sacerdote, absolveret a censuris in articulo mortis: quia ex una parte nulla sacramento fit injuria, & ex alia subvenitur proximo in necessitate, & tandem hoc fit ab eo, qui etiam extra necessitatem capax est hujusmodi potestatis. Extra mortis articulum nullus Sacerdos, quantumvis superior, vitandus quit absolvere a censuris, quia caret jurisdictione. Unde potest accidere, quod non valet absolvere a censura, qui eam tulit, si ea lata, ab alio Superiore excommunicatur, & vitandus declaretur, aut notorius clericus percussor evadat.

CAPUT II.

De censuris in specie.

PUNCTUM I.

De excommunicatione.

77. Inq. 1. Quid sit excommunicatio? R. Quod in communi est *censura privans hominem fidelem ecclesiastica communione*. Dividitur in majorem, & minorem. Excommunicatio major est *censura privans hominem fidelem omni ecclesiastica communione*. Minor vero est *censura privans hominem fidelem participatione passiva sacramentorum*. De hac infra erit sermo, nunc autem solum est de majori. Discrimen principale inter utramque patet ex earum definitione, nempe quod excommunicatio major privat omni ecclesiastica communione, minor autem tantum aliqua, nimirum sacramentorum receptione.

78. Nota autem tres olim fuisse differentias, seu modos excommunicationis majoris. 1. Dicebatur *excommunicatio simplex*. 2. *Anathema*, hoc est execratio. 3. *Maranatha*. Differabant in eo, quod prima solo verbo ferebatur; secunda variis ceremoniis, & solemnitatibus, ut fit etiam nunc pulsatis campanis, accensis, & extinctis candelis. Tertia vero separabat ex-

com-

communicatum ab Ecclesia per totam vitam; ita ut nec contritus, & emendatus posset sacramenta recipere, nec de bonis communibus Ecclesiæ participare. Unde apparet benignitas præsentis disciplinae respectu antiquæ ab aliquibus Synodis severe præscriptæ. Vid. Bened. XIV. Syn. lib. 10. cap. 1. num. 7.

79. Inq. 2. Quinam sint effectus excommunicationis majoris? R. Octo recenseri. 1. Est privatio suffragiorum Ecclesiæ. 2. Privatio activa & passiva sacramentorum. 3. Privatio sacramentorum functionum. 4. Privatio jurisdictionis ecclesiasticæ. 5. Inhabilitas ad actus legitimos in judicio exercendos. 6. Inhabilitas ad obtinenda beneficia ecclesiastica. 7. Incapacitas ad obtinendum rescriptum, seu privilegium. 8. Privatio communicationis civilis, & forensis cum aliis fidelibus. Nota, quod excommunicatus tenetur absolutionem solicitare quam primum ex præcepto charitatis erga se ipsum, ne communione ecclesiastica fidelium diu privatus existat, per annum autem in excommunicatione perseverans fit suspectus de hæresi. Item clericus actum ordinis sponte exercens in tali statu, fit irregularis, Ex cap. Siquis, de clericis excommunicato.

80. Ex censura nulla nullus effectus, seu privatio oritur. Si autem dubia, aut probabilis sit, obediri debet, cum vix in moralibus evidentia adsit. Violare censuram est culpa gravis ex genere suo; excusat tamen a gravi materiae parvitas. Unde qui in sacris, & spiritualibus communicat cum excommunicato, vel excommunicatus qui eis se ingerit, peccat graviter; non vero in politicis, & civilibus, quia illud materia gravis, hoc vero levis reputatur secluso contemptu. Ideo cum eo recitare, sacrificio assistere, aut ejus cadaver sepelire, si est vitandus, erit peccatum grave; solum autem veniale cum illo comedere, sermocinari, aut aliud politicum exercere. Violans præceptum continens censuram non committit duplex peccatum, nisi ex speciali motivo extrinseco alias sit impositum. Unde si restituitio furti præcipiatur sub censura, omittens restituere unum tantum peccatum injustitiæ perpetrat. Si autem furtum in loco sacro prohibeatur, duplex peccatum committit fur,

aliud contra religionem, & aliud contra justitiam.

81. Inq. 3. Qui sint excommunicati vitandi, quive tolerati? R. Quod vitandi sunt solum nominatim denunciati, & notorii percussores clericici; cæteri excommunicati, esto publici; ut hæretici, sunt tolerati; ideo cum istis possumus prohibito communicare in politicis; in sacris vero solum cum causa, aut necessitate. Nominatim denunciati dicuntur, qui proprio nomine sunt ut tales declarati, ut Lutherus, & Calvinus; vel ex officio, quando unus tantum illo gaudet, ut si diceret Judex: *Excommunico Prælatorem Salmansinum*. Si essent duo ejusdem nominis, & officii, debent exprimi peculiaribus notis: Percussor notorius clericici dicitur, quando delictum ita est notorium, ut nulla tergiversatione celari possit. Ideo non sufficit crimen esse publicum, potest enim reus allegare se fuisse ebrium, aut in sui defensionem fecisse, proindeque requiritur sententia Judicis declaratoria criminis, qua stante, reus est notorius percussor clericici, & vitandus. Juxta aliquos vitandi in uno loco, in alio, ubi secreta est eorum excommunicatio, non sunt vitandi, quod verum censeo, si transeant ad loca valde remota, ad que difficile est pervenire notitiam. Tolerati nequeunt communicare cum aliis, quia non in eorum favorem, sed aliorum innocentium concessum est privilegium a Martino V. in Concilio Constantiensi: *Ad vitanda scandala*.

PUNCTUM II.

De primo, & secundo effectu excommunicationis.

82. Inq. 1. Quis sit primus excommunicationis effectus? R. Est privatio suffragiorum communium Ecclesiæ. Horum nomine intelliguntur sacrificia, hore canonicæ, processiones, orationes publicæ, benedictiones, & alia hujusmodi, quibus sunt privati excommunicati, esto sint in gratia, donec absolvantur. Unde offerens sacrificia pro vitandis nomine Ecclesiæ nihil efficit, nisi peccare graviter. Si autem Sacerdos offerat sacrificium pro vitando nomine Christi, valide offert, sed graviter peccat. Si denique quis nomine pro-

proprio oret in Missa, vel offerat suffragia privata pro illis, actum caritatis exercet. Pariter magis pia probabilis, & caritati consentanea est sententia asserens posse sacrificia & alia suffragia communia offerri pro excommunicatis toleratis, ut pro hereticis, etiam nomine Ecclesie: quia ex privilegio *Ad vitanda* valet cum toleratis communicare, etiam in sacris fideles quoties cedit in eorum favorem, & utilitatem; sed offerre sacrificia, & suffragia communia cedit in commodum spirituale fidelium, tum ob proprium meritum, tum ob illorum conversionem, ergo ita est tenendum.

83. Inq. 2. Quis sit secundus effectus excommunicationis? R. Est privatio tam activa quam passiva sacramentorum. Unde peccat graviter, & irregularitatem incurrit excommunicatus vitandus conscientia, seu ministrans sacramenta. Omnia autem sunt valida, excepta poenitentia, quae extra articulum mortis, in defectu alterius, invalide ministratur a vitando in loco, ubi talis est. In alio, quippe, ubi adesset error communis cum titulo colorato, valide absolvere posset. Toleratus vero valide, & licite conficit, & ministrat sacramenta, si sit in gratia, & petatur a fidelibus ex rationabili causa. Excommunicatus conscientia, aut ministrans sacramenta exigentia exercitium ordinis, seclusa gravi necessitate in vitando, aut petitione fidelium in tolerato, peccat graviter, & irregularitatem incurrit. Qui vero ordinem a vitando recipit, incurrit etiam suspensionem. Parochus vitandus matrimonio assistere valet in defectu alterius Sacerdotis: pro casu periculi mortis ad consulendum honori foeminae, aut prolis legitimationi. Posset autem, imo deberet, tunc dare alteri Sacerdoti licentiam assistendi matrimonio.

84. Inq. 3. An sacramenta, quae recipit excommunicatus, sint valida? R. Omnia esse valida quoad substantiam, quia supponitur nihil essentialiter pro eis deponere, & alias ratione characteris baptismi est capax illorum, quorum valor dependet non a voluntate Ecclesie, sed Christi. Peccaret tamen graviter excommunicatus illa recipiendo, nisi metus mortis, aut gravis damni excusaret. Sed quia de pe-

nitentia est specialis difficultas.

85. Inq. 4. An excommunicatus possit valide recipere sacramentum poenitentiae? R. Quod scienter, & sine necessitate incapax est illud recipiendi; tunc quippe peccando graviter, ac proinde indispositus accederet ad sacramentum. At si accedat cum ignorantia totali excommunicationis, vel ad vitandam infamiam, seu aliud grave damnum, vel petita prius absolutione censurae, & Confessor ex oblivione, aut malitia absolveret eum a peccatis, & non ab excommunicatione, tunc valide, & licite reciperet poenitentiae sacramentum, supposita omni alia dispositione. Tum quia Ecclesia non punit ignorantem, sed rebellem, nec vult sua praecepta obligare cum gravi damno, aut infamia; nec irritat specialiter receptionem hujus sacramenti, ergo valide, & licite potest recipi dictis casibus ab excommunicato, sive tolerato, sive vitando in casu ignorantiae.

86. Objic. 1. Invalida est absolutio cum ignorantia invincibili data a vitando, ergo etiam recepta, vel quam ipse recipit. 2. Electio, & collatio beneficii, etiam bona fide, facta excommunicato est in omni eventu nulla, ergo pariter absolutio a peccatis ei collata. R. Ad 1. neg. consequens. Consistit disparitas in eo, quod absolutio nequit dari absque jurisdictione, qua privatus est vitandus, excepto mortis articulo; potest tamen recipi a subiecto, quia in hoc nulla requiritur ad recipiendum jurisdictio. Ad 2. Patet etiam disparitas, quia electio, aut collatio beneficii, & alia hujusmodi pendet ex mera voluntate Ecclesiae, quae in jure expresse illa irritat pro excommunicatis. Receptio vero sacramentorum nec pendet ex mera voluntate Ecclesiae, nec haec illam expresse irritat.

87. Inq. 5. Quam poenam incurrat ministrans sacramenta excommunicato? R. Quod si ministret tolerato, esto graviter delinquat, nullam tamen poenam incurrit. Si autem ministret vitando, praeter grave peccatum, excommunicationem minorem incurrit, interdictum ab ingressu Ecclesiae, & aliquando excommunicationem majorem. Pontifici reservatam, nempe quando ministraret sacramenta excommunicato a Papa per sententiam parti-

cu-

cularem. Pro hac autem censura incurrendi quatuor conditiones requiruntur. 1. Quod sit clericus, imposita enim est contra clericos, participantes in divinis cum vitando: 2. Quod sciat esse excommunicatum nominatum a Papa: 3. Quod sponte & sine gravi causa cum eo participet. 4. Quod admittat eum ad divina; si enim ipse vitandus se ingerat, non incurritur haec censura.

PUNCTUM III.

De tertio excommunicationis effectu.

88. Inq. 1. Quis sit tertius excommunicationis effectus? R. Est privatio sacramentorum functionum, vel communicationis cum aliis in officiis divinis, uti est audire Missam, recitare publice horas canonicas in choro, processiones, sepultura ecclesiastica, & alia hujusmodi. Unde excommunicatus quando talis nequit audire Missam, debet tamen, dum commode potest, curare absolvi a censura ad eam audiendam in die festo; quilibet enim tenetur, si commode possit, removere impedimenta, quae retrahunt ab observantia praeccepti, alias peccat contra praecceptum. Nequit pariter excommunicatus recitare cum aliis horas canonicas; debet tamen solus illas persolvere, si ad eas teneatur. Tunc autem nequit dicere; *Domine vobiscum*, quia hoc dicitur nomine Ecclesiae, sed debet loco ejus dicere: *Domine exaudi orationem meam*. Solum autem erit veniale illa verba dicere, quia est parva materia.

89. Inq. 2. An possit excommunicatus ingredi Ecclesiam ad orandum? R. Posse ingredi, ibi privatim orare, imagines venerari, & ibi etiam separatus valet assistere tempore officii divini, aut Missae, quia sic non adest communicatio cum aliis. Potest etiam concioni assistere, quia concio non est officium divinum, & unusquisque seorsum illam audit, & idem est de lectione Theologiae, Juris canonici, aut civilis. Si Sacerdos excommunicatus curet, quod Missa coram se celebretur, incurrit irregularitatem, & excommunicationem majorem reservatam; eam incurrit etiam quilibet vitandus, qui monitus, ut exeat ab Ecclesia tempore Missae, non

vult exire. Quid autem sit faciendum in hoc casu dictum est tract. *De sacrifi. Missae*. Si excommunicatus vitandus vult assistere officiis divinis, repellendus est; si non possit, omittenda sunt: peccant enim graviter clerici, & ceteri fideles cum communicando in illis, sicut ipse communicando cum eis.

90. Inq. 3. An excommunicatus possit uti, vel se aspergere aqua benedicta? R. Non posse illa uti ad percipiendum fructum, quem habet a benedictione; posse vero, ut eam reveretur privatim, & confundat ex ejus absoluta privatione, & tanquam excitativo quodam ad poenitentiam. Quo pacto potest uti sacris imaginibus, & reliquiis, nullas tamen indulgentias lucrari valet.

91. Inq. 4. An excommunicatus decedens ante absolutionem sepeliri valeat in loco sacro? R. neg. Peccarent enim graviter vitandus ibi sepelientis, & per ejus sepulturam polluitur Ecclesia; imo sepelientis scienter vitandus in loco sacro incurrit excommunicationem majorem, a qua nequit absolvi, nisi data satisfactione ad Episcopi arbitrium. Excommunicatio haec incurritur probabiliter etiam a mandantibus, non autem a clericis, & aliis funus pure comitantibus. Sepulto cadavere vitandi in loco sacro, si ante mortem dederit signa poenitentiae, petita absolutione ab haereticis, absoventis, non exhumandus est. Si autem absque signis poenitentiae decesserit, & possit ab aliis corporibus secerari, est exhumandus, forasque projiciendus. Deinde reconciliari debet Ecclesia, non enim poterit ante reconciliationem in ea celebrari officia divina, nec alia corpora fidelium sepeliri.

PUNCTUM IV.

De quarto, & quinto excommunicationis effectu.

92. Inq. 1. Quis sit quartus effectus excommunicationis? R. Est privatio jurisdictionis ecclesiasticae. Unde excommunicatus graviter peccat exercendo actum jurisdictionis ecclesiasticae in foro externo, aut interno, nisi parvitas materia excuset. Adest tamen magna differentia inter

ter

ter toleratum, & vitandum, quod omnia acta a tolerato, nisi rejiciatur, sunt valida ad præcavenda plurima incommoda, quæ ex opposito oriuntur. Acta vero a vitando sunt invalida. Unde ligatio, absolutio, dispensatio, concessio dimissoria, approbatio audiendi confessiones, & concionandi, electio, & presentatio, si non sit pure laica, delegatio suæ jurisdictionis, & alia hujusmodi facta a vitando invalida sunt. Imo idem est de actis a delegato vitandi, si res integra sit: si autem inceptum sit iudicium, valet prosequi delegatus, nisi idem tribunal faciat cum vitando delegante. Qua ratione Vicarius Episcopi denuntiati, nequit uti jurisdictione, quia idem constituit tribunal cum Episcopo.

93. Inq. 2. An electio, ad quam vitandus suo suffragio cum aliis concurrat, sit nulla? R. Quod si ejus suffragium sit necessarium ad electionem, hæc nulla est; nisi in electione Pontificis, hæc enim valida est, esto ab excommunicatis fiat, ne præbatur occasio schismatis, & malorum, quæ inde sequerentur. Si autem vitandus se ingerat ad electionem contra voluntatem electorum, qui eum ejicere nequeunt, aut ipsis ignorantibus, & illius suffragium non sit necessarium, valida est; quia non est ratio privandi electores in dicto casu jure legitimo. Idem est probabilius, esto electio fiat consensu, & notitia electorum circa vitandi suffragium, quando hoc non est necessarium; quia jura quæ in oppositum adduci solent, tantum dicant cassandam esse electionem, & utile per inutile non vitatur. De regul. jur. in 6.

94. Inq. 3. An resignatio beneficii facta ab excommunicato sit valida? R. Quod si fiat a tolerato valida est; cedit enim in favorem alterius. Idem est de resignatione simplici facta a vitando, quia sic est mera cessio beneficii, non actus jurisdictionis. Solum est difficultas, si fiat a vitando in favorem alterius; tamen etiam tunc valere probabilius est, quia nec sic est actus jurisdictionis, sed designatio personæ, quam potest superior approbare, vel mutare, aut rejicere. Acta a vitando, ut persona privata, valida sunt, esto illicita, ut emptio, venditio, mutuum, & alia hujusmodi.

95. Inq. 4. Quis sit quintus effectus excommunicationis? R. Est privatio, seu inhabilitas ad actus legitimos in iudicio forensi exercendos. Unde excommunicatus nequit esse licite Judex, actor, advocatus, testis, tabellio, aut procurator. Judex autem vitandus non solum illicite, sed invalide judicat, & nullum profert iudicium, sive ecclesiasticum, sive sæcularis sit. Cæteri autem valide sua munia exercent, si a partibus non repellantur. Exciipiuntur tabellio, & testis vitandi, quorum dicta, instrumenta, & fides reprobantur in jure. cap. Nullus. 3.

96. Excommunicatus potest in iudicio citari, & comparere per idoneum procuratorem, nisi illum non inveniat, aut pauper sit: tunc enim valet etiam per scriptum comparere, & agere in iudicio. Tandem quilibet toleratus rogatus licite exercet munus Judicis, actoris, advocati, testis, tabellionis, & procuratoris. Cætera huc spectantia pateat ex dictis, & dicendis, quæ consulto omittuntur, ne pluries repetantur.

PUNCTUM V.

De sexto, & septimo effectu excommunicationis.

97. Inq. 1. Quis sit sextus excommunicationis effectus? R. Est incapacitas ad obtinenda beneficia ecclesiastica, & alias dignitates. Unde beneficii, aut pensionis clericalis, seu cujusquam dignitatis ecclesiasticæ presentatio, electio, collatio, aut nominatio illicita est, & invalida respectu excommunicati vitandi, & probabilius etiam tolerati, quia ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Nec Concilium Constantiense concedit toleratis talem favorem, esto collator non peccet communicando cum tolerato, sicut cum vitando, ex privilegio dicti Concilii, quod voluit favere fidelibus, minime vero toleratis. Idem est, licet ignorantia invincibili censuræ recipient beneficia; quia esto ignorantia excuset a culpa, non a lege actum irritante, nec inhabilem facit habilem. Ideoque nec fructus beneficii facit suos, sed illos restituere debet, si a principio mala fide

ac.

PUNCTUM VI.

De octavo effectu excommunicationis.

accepti beneficium. Si autem bona fide illud recepit, saltem id, in quo factus est ditior, & hoc ipso factio, & assententiam iudicis, nisi illud ex legitima consuetudine alicubi observetur.

98. Inq. 2. An acceptatio beneficii, facta ab excommunicato, sit nulla? R. neg. Quia jura mentionem non faciunt de possessione, apprehensione, nec de acceptatione, nec sunt quid juris, sed quid facti. Unde qui est excommunicatus, solum dum acceptat, cum talis non fuerit tempore electionis, aut collationis; valide acceptat. Verum excommunicatus tempore collationis, esto absolutus tempore acceptationis, invalide acceptat juxta plures, quia collatio ab initio nulla, non fit valida per acceptationem. At mihi valde probabile est oppositum; alias teneretur se prodere, petendo novam collationem. Pro praxi autem usu receptum est, ut dispensatio, & collatio in foro conscientie obtineatur a sac. Pœnitentiarum, dum delictum est occultum. Pontifex enim supplere valet defectum a jure positivo proveniente. Hinc collatio excommunicato facta a Pontifice sciente, sive etiam ignorante excommunicationem cum clausula generali absolutionis ad effectum, valida est, nisi excommunicatio esset ob hæresim, quæ non aufertur per clausulam generalem.

99. Ex dictis patet, quid agere debeat excommunicatus occultus, cui confertur aliquod beneficium, debet enim honesto titulo se ab eo excusare. Si autem non possit absque infamia, curet quantocius absolutionem, revelando Superiori veritatem. Interim valet obire munia publica; fructus tamen, si quos recipiat, restituere tenetur.

100. Inq. 3. Quis sit septimus effectus excommunicationis? R. Est incapacitas obtinendi rescripta, aut privilegia apostolica: qua ratione in illis apponitur clausula generalis absolutionis a censuris, & inhabilitatibus ad effectum ea obtinendi. Hæc autem absolutio tantum est pro illo effectu, quoad alios enim manet censura in suo vigore.

101. Inq. 1. Quis sit octavus excommunicationis effectus? R. Est privatio communicationis civilis. Hæc autem privatio est bimembris, quia non solum prohibentur excommunicati communicare cum fidelibus, sed & isti cum illis, dum sunt vitandi. Casus vero in quibus prohibentur continentur his versibus:

Si pro delictis anathema quis efficiatur, os, orare, vale, communi, mensa negatur.

Os indicat prohibitionem cujuslibet allocutionis, confabulationis, aut communicationis, etiam per signa, epistolas, aut autus. Orare denotat non posse simul cum excommunicatis orari, vel pro eis nomine Ecclesiæ orationes, aut suffragia offerri. Orare tamen pro eis privatum non vetatur. Vale prohibet salutationem, aut resalutationem, quia ad utramque amittit jus excommunicatis, & est illis indignus. Dicere autem illi: *Deus te convertat, illuminet &c.* licitum est, quia sic potius precatur pro eis, quam salutatur. Communi intelligitur de civilibus, ut de contractibus, qui licet validi, illiciti sunt cum illis. Item cohabitatio, seu quælibet cooperatio simultanea circa aliquod opus, aut negotium; si autem concurrant in eodem diversorio, aut etiam in eodem cubiculo, dummodo non sit socialiter, non prohibetur cohabitatio. Mensa denique innuit socialem sumptionem cibi, aut potus in eadem mensa. Unde sciens esse vitandum in eodem moraliter refectorio, prandio, aut convivio, debet recedere, si absque incommodo possit. Si autem in eodem diversorio, aut eadem mensa unusquisque seorsim absque societate sedeat, suove cibo utatur, sub prohibitione non comprehenditur.

102. Inq. 2. Quot sint casus, in quibus licet fidelibus cum excommunicatis communicare? R. Esse quinque, qui hoc carmine continentur.

Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.
Utile denotat posse nos communicare cum excommunicato, quoties speratur, aut intenditur vera utilitas illius, aut nos-

Ccc tra

tra spiritalis, aut temporalis; ut petere ab eo, aut dare ei consilium, debita, elemosynam, vel utile sibi, nobis, aut tertio, quoties id, quod ab eo poscitur, non aequè bene ab alio speratur. *Lex* dicit, quod ex lege matrimonii possunt conjuges secum vicissim communicare; nisi excommunicatio foret ob hæresim, causa matrimonii, vel illud præcesserit, vel tempore divortii. *Humile* innuit, quod ratione subjectionis possunt communicare filii non emancipati cum parentibus, famuli, & servi cum dominis, religiosi cum suis Prælati tam in civilibus, quam in divinis. Unde famuli possunt comitare dominum ad Ecclesiam, ipsi ministrare celebranti, & cum ipso horas canonicas recitare, non vero ab eo sacramenta recipere, hoc quippe non convenit ratione famulatus. *Res ignorata* denotat ignorantiam invincibilem, aut inadvertentiam excusare a culpa, & a poena non communicandi. In dubio autem nemo est vitandus, nec jure suo communicandi privandus. *Neesse* significat gravem necessitatem spirituales, aut temporalem excommunicati, vel alterius cum illo communicandi, ut dictum est de utilitate. Unde cum gravi incommodo, aut metu non tenetur illum vitare, vel a sua communicatione separari, secluso scandalo, aut contemptu.

PUNCTUM VII.

De excommunicatione minori.

103. Quid sit excommunicatio minor, & qui ejus effectus? R. Est censura privans hominem fidelem participatione passiva sacramentorum. Hic est ejus effectus principalis, in solo uno casu, vel pro solo uno crimine incurritur, ut statim dicemus. Peccat igitur graviter recipiens cum ea quolibet sacramentum. Omnia autem sunt valida, excepta penitentia, quæ scienter, & sponte nequit valide recipi ab inodato excommunicatione etiam minori ob defectum doloris, ut ex se patet. Prohibitum est etiam sub veniali ligato hac excommunicatione ministrare sacramenta ex cap. ult. de cleric. excommunic.

104. Alius effectus excommunicationis

minoris est impedire electionem activam, & passivam excommunicati ad beneficia, & dignitates ecclesiasticas. Unde peccat graviter eligentes, aut conferentes illa sic excommunicato, & hic ea recipiendo, quia in materia gravi agerent contra præceptum Ecclesie, quæ privans directe illum a receptione sacramentorum, privat indirecte a beneficiis ad ordinis receptionem, & ad Missæ celebrationem ordinatis. *Cap. Si celebrat. Eod. tit.* Electio tamen non est irrita, sed a Superiore irritanda.

105. Inq. 2. Ob quam culpam incurritur excommunicatio minor? R. Incurrit quandoque ob culpam gravem, & quandoque ob levem. Culpam autem hæc non est alia, nisi communicatio cum excommunicato vitando. Unde si duo vitandi communicarent, incurrerent ambo excommunicationem minorem; si communicant in sacris ex culpa gravi, si in politicis ex levi. Idem est de tolerato, & de quolibet alio communicante cum vitando. Si duo tolerati inter se communicent, peccant graviter si in sacris, & leviter si in politicis, nemo tamen excommunicationem minorem incurrit, quia hæc solum incurritur ob communicationem cum vitando.

106. Inq. 3. Quot sint casus, in quibus incurritur excommunicatio major ob communicationem cum vitando? R. Esse quinque. 1. Quando clerici admittunt sponte, & scienter ad officia divina nominati excommunicatum a Papa. 2. Quando eodem modo aliqui sepeliunt vitandum in loco sacro. 3. Quando vitandus monitus non vult exire ab Ecclesia tempore Missæ, aut officii divini, de quo supra. 4. Quando excommunicatio lata est contra participantes, supposita monitione specialis non communicandi cum principali. 5. Quando fertur contra communicantes cum vitando in crimine criminoso, ut si supposito, quod Cajus sit vitandus, quia non restituit, Titius dissuadeat ei restitutionem; vel si est vitandus ob delicta carnis cum Berta, hæc subinde habeat rem cum illo. Aliæ forte erunt hujusmodi excommunicationes: sunt quippe tot censuræ in jure, & extra jus, ut vix versatissimus eas designare valeat: quæ ratione valde utilis esset animarum quieti earum

earum moderatio, ne simul peioris conditionis in lege amoris, quam Judæi in lege timoris, ut verebatur suo tempore S. August. Epist. 119. ad Januarium. Vid. Bened. XIV. in Syn. lib. 10. c. 2. n. 1.

107. Inq. 4. Quis possit absolvere ab excommunicatione minori? R. Posse illum, qui absolvere valet a peccato, per quod incurritur. Unde potest ab illa absolvere quilibet Confessarius, qui potest a peccatis participationis in confessione absolvere, ut inquit D. Thom. in 4. dist. 18. q. 2. ar. 1. q. 1.

PUNCTUM VIII.

De excommunicatione contra clerici percussores.

108. Inq. 1. Quæ sit excommunicatio imposita contra percipientes clericum? R. Est illa, quæ habetur in can. *Si quis suadente. 17. q. 4.* his verbis: *Si quis suadente diabolo manus violentas in clericum, vel monachum injecerit, anathematibus vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui presentetur, & ejus mandata recipiat.* Excommunicatio hæc est late sententia, & reservata Papæ, si percussio fuerit enormis, aut gravis.

109. Pro quo nota, quod triplex potest esse percussio clerici. *Enormis, gravis, & levis.* *Enormis* est mutilatio membri, magna effusio sanguinis, ictus atrox, vel esto talis non sit, fiat tamen in Episcopum, aut Superiorem; crescit enim injuria juxta dignitatem personæ offensæ. Unde percussio, quæ respectu laici est levis, respectu clerici potest esse gravis. *Mediois* dicitur, quæ non lædit tantum, sed est media inter enormem, & levem, ut evellere ictu aliquem dentem. *Levis* reputatur illa, quæ esto sit absolute gravis, & peccatum mortale, tamen quia non est adeo gravis, sicut prædictæ, comparative dicitur levis, ut percutere clericum baculo, pugno, aut pede, vel equum, in quo equitat. Igitur percussio enormis, aut gravis est reservata Pontifici, levis vero Episcopis. Prælati regulares possunt absolvere suos subditos ab hac censura

ex quavis percussione incurra. Imo posse mendicantes absolvere a gravi percussione occulta asserunt plures, & admittit Concilia præsentia.

110. Inq. 2. Quis intelligatur nomine clerici, aut monachi? R. Intelligi omnes prima tonsura initiatos, etiam conjugatos, si deferant tonsuram, & habitum clericalem, & de mandato Episcopi alicui Ecclesie deserviant, & nisi sint bigami bigamia reali, aut abjecto habitu clericali, negotiis sæcularibus vacent, & a Superiore tertio moniti non corrigantur. Deinde hoc privilegio gaudent omnes regulares utriusque sexus, eorum novitii, conversi, & tertiarum, qui habitum religionis portant, subiecti aliquo Superiori communiter vivunt. Clerici autem degradati realiter, & qui abjectis vestibus ecclesiasticis tyrannidi, ac enormitatibus se tradunt, ipso facto privantur privilegio canonis.

111. Inq. 3. Qui incurrant hanc censuram ob clerici percussorem? R. Omnes utriusque sexus, quantumvis privilegiatos, ac etiam pueros rationis compotes, mandantes, consulentes, vel quovis modo in percussorem vere influentes, illam incurtere. Pueri autem, ante pubertatem illam incurrentes, possunt etiam post pubertatem absolvi ab Episcopo. Si Superior, aut paterfamilias coram suis dicatur talis clericus vindictam cupere, & his verbis moti illi clericum percussorem, incurrit censuram, esto ipse non eo animo verba dixisset; debet enim prævidere sequituram percussorem, vel exprimere se eam minime velle. Quod quia non expressit Henricus Secundus, fuit reus mortis S. Thomæ Cantuariensis. Illam etiam incurrit, qui absque suo detrimento potest percussorem impedire, & non impedit, si ad eam impediendam ex justitia teneatur, ut Juxta, Rector, pater, ac cæteri respectu suorum inferiorum.

112. Inq. 4. An qui solum ex caritate debent impedire percussorem clericum, & non impediunt, incurrant censuram? Alii affirmant, alii negant. Utramque sententiam, tamquam probabilem, propinat lectoribus in præsentia Concina, licet hanc methodum in aliis acriter improbet. R. Igitur neg. Qui enim solum ex caritate tenetur impedire malum, & non impedit

nullam actionem injuriosam operatur in clericum; & se habet sicut, qui tantum interius illam vellet, aut approbaret; sed hic non incurrit censuram, ergo nec ille. Apud omnes excusatur ab incursione, qui non obstrictus ex iustitia impedire, omittit ex timore, verecundia, aut ne alienis litibus se immisceat; hic enim non dolo, odio, aut malitia censetur omittente.

113. Inq. 5. An qui ratam habuit percussionem clerici suo nomine factam, quin ad eam illum influxum præbuerit, incurrat censuram? R. affirm. Constat expresse ex can. Cum quis. De sent. excom. in 6. Requiritur tamen ad id tres conditiones. 1. Quod percussio facta fuerit suo nomine, aut in sui gratiam, licet non expressis mandatis. 2. Quod exterius exprimat rathabitionem; non enim sufficit voluntas, aut rathabitio interior. 3. Quod tempore percussione fuerit habitualiter aptus ad mandatum, vel consilium præbendum. Unde si tunc erat amens, eam non incurrit: si vero esset dormiens, aut ebrius, & cætera adsint, non excusatur a censura.

114. Inq. 6. Ob quam actionem incurratur excommunicatio canonica? R. Quod ex qualibet actione violenta injusta, & nociva effective in personam clerici, vel in rem ei adhaerentem, manu, pede, dentibus, fuste, gladio, vel alio instrumento facta incurritur. Ut si clericus percussatur, conspuatur, incarcerationetur, detineatur ipse, aut equus, cui insidet, aut quid simile indecore ei fiat. Secus si solum verbis, aut tantum affective lædatur, ut si quis vibret ictum, sed percussio non sequatur. Idem est de furante occulte vestes, aut alia bona clerici, quia nulla vis infertur clerico per furtum occultum, sicut infertur per rapinam, ideo non per illud, sed per istam incurritur censura.

115. Inq. 7. Quæ causæ excusent ab incursione hujus censuræ? R. In primis omne id, quod excusat a culpa, excusat etiam a censura. Deinde excusat ignorantia invincibilis juris, aut facti, metus gravis, inadvertentia, & justa defensio. Ignorantia autem crassa, supina, aut affectata non excusant; illa enim verba: Si quis suadente diabolo non exigunt scientiam, aut dolum formalem, sufficit peccatum grave, quod communiter, suadente dia-

bolo, fit. Præterea etiam excusat titulus correctionis in Prælati, parentibus, & magistris respectu subditorum, filiorum, & discipulorum, esto in sacris sint constituti, aut correctio sit aliquantulum excessiva, dummodo ad peccatum mortale non pertingat. Insuper excusat titulus castitatis, ut si femina, actualiter provocata a clerico, non possit illum a se rejicere verbis, potest licite illum repellere violentia, aut etiam percussione. Item excusatur percussus, aut occidens clericum turpiter, etiam solum osculis, aut tactibus agentem cum propria uxore, matre, filia, vel sorore, quia esto graviter peccet, censuram tamen non incurrit, quia agnovit jus valide difficile esse in illo flagranti cohibere dolorem, & impetum. Cap. Si vero, de sent. excomm. Denique excusat titulus joci, aut ætas puerilis. Idem est, dum pueri tonsura initiati, invicem rixantes, se percussant, licet sanguinem e naribus effundant, quia in his casibus non censetur percussio graviter injuriosa. Aliquando tamen ex circumstantiis personæ, & offensivis id est judicandum. Si mortalis sumeret potionem sponte ad necandum, vel expellendum foetum, non incurreret censuram, quia non sibi, sed foetui injuriam inferret.

PUNCTUM IX.

Indicantur excommunicationes Papæ reservatæ.

116. Bulla appellata in Cena Domini, quia illo die legebatur, cepit fuxta aliquos publicari tempore Gregorii XI. Deinde quibusdam mutationibus, pervenit quotannis divulgata usque ad Pontificatum Clem. XIV. qui eam omissis pro quiete Ecclesiæ; & ex tunc Commissarius generalis Cruciatæ in Hispania abstulit à Sumario Bullæ illam clausulam antea familiarem, & de los declarados en la Bulla in cena Domini. Denique Pius VI. in Bulla, quæ incipit: Quoniam in exercitiis. Et in alia quæ incipit: Cum exercitiis, directis ad Vicarium generalem exercitus, n. 8. (tibi ei concedit facultatem absolventi per se, vel per alium idoneum ministrum suos subditos castrenses) variando stylum Prædecessorum suo-

rum,

rum, tantum meminit de facultate absolventi a reservatis Sedi Apostolicæ discrete omitendo clausulam antea usitatam; nempe etiam intra Bullam Censuræ: Quorum exemplo ducti silentium observare in hac quarta editione decrevimus, obiter annotando, plures casus prædictæ Bullæ esse Pontifici reservatos a jure in extravaganti Pauli 2. Et si Dominici gregis, in 6. Videatur Ferraris in ultima editione V. absolutio, ubi ob oculos ponit plures Schedulas Regum Hispaniæ declarantes Bullam Censuræ nunquam fuisse admissam in nostra Hispania. Que la Bula de la Cena no estaba admitida en estos Reinos. Scripsit Philippus V. Episcopo Pampilonensi.

117. Innumere sunt excommunicationes Papæ reservatæ tam in corpore juris, quam in Conc. Trid. aliisque Bullis summorum Pontificum, quarum plurimæ in suis partibus a nobis sunt expensæ, alia vero non pauca hic summam recitabimus, ne earum ignorantia errorum ingerat Confessariis.

1. Contra hæreticos, offensores Ecclesiæ libertatis, conspiratores in Pontificem, Præbitericidas, offensores personæ Episcopi, & perpetrantes allucinamenta, contenta in capite: Etsi Dominici gregis, de penitentiis, & remis in 6. Ubi ita Paulus 2. concludit: statuit, & decrevit suæ intentionis fuisse, & esse per quascumque concessiones, & facultates, per suam sanctitatem, scripto, aut verbo factas; & in posterum faciendas; nemini licere irritos dictis casibus absolvere sine speciali suæ Sanctitatis licentia, &c.

2. In religiosos, qui sine privilegio, vel speciali licentia Parochi, clericis, aut laicis, viaticum, aut extremam unctionem ministrare, vel matrimonia solemnizare præsumant, aut absolvent a censuris Papæ, vel Episcopis reservatis, aut absolvent a culpa, aut a poena, per spousos incursa: Clementina 1. de privilegio.

3. In clericos sæculares, aut regulares, procurantes, ut quis eligat sepulturam in propria Ecclesia, aut jam electam mutet, prævio juramento, voto, vel promissione. Clement. Cupientes, de penitentia §. Sane. Etsi de facto quis sepeliatur, ut supra, remanet Ecclesia, ip-

so facto interdicta, cap. 1. de sepulturis in 6.

4. In Confessarios tam sæculares, quam regulares dispensantes, aut commutantes quinque vota Papæ reservata absque legitima facultate: Extravag. etsi Dominici, de penitentia, & remis.

5. In Gubernatores, aut officiales status ecclesiastici, qui recipiunt munera a communitatibus, aut personis privatis, & contra illos, qui dant hujusmodi munera supradictis, exceptis comestibilibus, quæ triduo consumantur: Bulla Pauli II. munera: & Bulla Sixti IV. Etsi.

6. In impediens executionem litterarum sacræ Penitentiarie, aut consilium, sive auxilium dantes ad hujusmodi effectum: Bulla Julius III. Rationi congruit, anni 1558.

7. In iudices ecclesiasticos, interponentes decretum super alienationes bonorum Ecclesiæ, aut locorum piorum cum detrimento dictarum Ecclesiarum, aut locorum piorum, & contra illos, qui dant operam dictis alienationibus: Bulla Pauli II. Cum in omnibus 1465.

8. In tractantes de electione futuri Pontificis, dum Papa vivit: Bulla Pauli IV. Cum secundum Apostolorum, anno 1558. dummodo tractatus sit cum pactis, & non mere consultivus.

9. In mittentes epistolas ad illos, qui sunt in conclavi; ac in recipientes illas. Bulla Pii IV. In eligendis anno 1561.

10. In clericos, qui obtenta a Dataria Apostolica aliqua parochiali Ecclesia, ac præstito juramento, de residendo, & non resignando, illud violant, resignando, & non residendo: Bulla Pii IV. Inter multiplices.

11. In usurpantes bona Ecclesiarum, locorum piorum, & montis pietatis, aut impediens, ne ab istis libere assequantur, ac in clericos, qui hujusmodi usurpationi consentiunt: Concil. Trid. sess. 22. de refor. cap. 11.

12. In violantes clausuram Monialium absque fine inhonesto: Bulla Clem. III. an. 1603. Incipient. Quæcumque. Illi vero, qui violant ad finem inhonestum, sunt comprehensi in decreto ejusdem Clem. antecedentis ann. 1602.

13. In mulieres ingredienti Monasteria.

teria, seu domos regularium. *Bulla S. Pii V. Regularium personarum*, *Bulla ejusdem: Decet Romanum*, & *Bulla Benedicti XIV. Regularis discipline*.

14. In Ordinarios, admittentes resignationes beneficiorum contra formam, & dispositionem *Bulle S. Pii V. Quanta*. Isti incurrunt suspensionem Papæ reservatam, quam si violant modo expresso in dicta *Bulla*, incurrunt etiam excommunicationem Papæ reservatam, *ibi §. 6.*

15. In exigentes aliquod emolumentum pro collatione, institutione, aut provisione beneficiorum ad possessionem. Concil. Trid. sess. 24. cap. 14. de reform. *Bulla S. Pii V. Dum nimis*. anno 1570.

16. In quomodolibet impediētes Episcopos, aut Inquisitores, ne procedant in causis expectantibus ad sac. Inquisitionem. *Bulla S. Pii V. Si de protegendis* §. 9.

17. In officiales sac. Pœnitentiariæ, aliquid recipientes, etiam sponte datum, occasione expeditionum, aliarumque gratiarum ejusdem Pœnitentiariæ. *Bulla S. Pii V. In omnibus*. anno 1569.

18. In Ordinarios, aut Vicarios generales, concedentes facultatem absolvendi a casibus reservatis, aut alias dispositiones per pecuniam: *Bulla S. Pii V. Quam plenum sit periculosis*. Episcopi vero, qui per pecuniam id concedunt, aut etiam indulgentias, incurrunt suspensionem, & penam interdicti ab ingressu Ecclesiæ, & fructuum participationis.

19. In moniales, violantes clausuram per egressum, præterquam in casibus a jure permissis: *Bulla S. Pii V. Decori*, anno 1570.

20. In eos, qui sub prætextu licentiæ obtentæ intrant clausuram monialium, & contra easdem moniales, aut ipsarum Superiores ad id cooperantes; & hic observanda est *Bulla Bened. XIV. quæ incipit Salutare*.

21. In dantes, aut promittentes aliquid pro obtinenda gratia, aut justitia in romana Curia. *Bulla: Sacerdotalem*, & *regiam Innoc. XII.*

22. Contra donantes bona communitatis Gubernatoribus, aut aliis ministris status ecclesiastici, pro obtinenda gratia, aut justitia in ipsorum tribunalibus:

Bulla Clem. VII. Pro commissio nobis, §. 22. Quam explicat Alexander VII. in *Const. Inter gravissimas*, §. 10. in qua declarat hujusmodi bona debere esse communitatis, pro incurrenda poena.

23. In extrahentes victualia a locis, subjectis Sanctæ Sedi Apostolicæ ad effectum asportandi ad alia loca Principum, id est granum, oleum, legumina, animalia &c. mercimonii causa: *Bulla Urbani VII. Superni*.

24. In retinentes apud se, aut occultantes scripturas spectantes ad Cænam Apostolicam, & contra notitiam de hoc habentes, & non revelantes: *Bulla Sixti V. Non sine*, ann. 1587.

25. In admittentes ad faciendas oblationes ad altare, excommunicatos nominatim a Papa, *ex cap. Significasti*. 18. de sent. excom.

26. In facientes promissa, aut sponsores super vita, morte, aut futura electione summi Pontificis, aut supra promotionem Cardinalium: *Bulla Greg. XIV. Cogit nos*.

27. In Confessarios tam sæculares, quam regulares absolventes a casibus reservatis summo Pontifici, in decreto Clementis VIII. aut a casibus reservatis Episcopis: *decret. ejusdem Clem. VIII.* anno 1601. & ann. 1602.

28. In eosdem Confessarios absolventes a quacumque censura reservata Papæ, aut Episcopo, absque legitima facultate, *Decretum Pauli V.* anno 1617. *Quoniam sacra congregatio*.

29. In docentes, & substinentes fieri posse sacramentalem confessionem per litteras, & recipi posse absolutionem a Confessario absente: *Decretum Clem. VIII. cum Sanctissimus*, anno 1602.

30. In Superiores regulares, qui se immiscent in causis S. Officii respectu eorum subditorum regularium: *Bulla Pauli V. Romanus Pontifex*.

31. Contra officiales, aliosque ministros montium pietatis, qui utuntur pecunia, in dictis montibus depositata pro eorum servitio, aut mutuo dant aliis. *Bulla Pauli V. Onerosa pastoralis*, anno 1615.

32. In revelantes secretum sac. Rotæ: *Bulla Urbani VIII. Exponi nobis*: ac secretum in causis canonizationis sanctorum.

rum. *Decretum Innoc. XI.*

33. Contra consulentes Astrologos super statu reipublicæ Christianæ, Sedis Apostolicæ; aut super vita, aut morte romani Pontificis, aut super vita, seu morte ejus consanguineorum, & affinium usque ad tertium gradum: *Bulla Urbani VIII. Inscrutabili* ann. 1631.

34. In furantes, vel extrahentes libros, vel quinteros ex Bibliothecis regularium.

35. In eos, qui super Conceptione B. Mariæ Virginis faciunt, aut dicunt contra Bullas ad ipsius favorem, & signanter contra *Bullam Alex. VII. Sollicitudo omnium*.

36. Alia ejusdem in notantes aliqua censura, vel injuria quamlibet opinionem circa atritionem supernaturalem requisitam ad sacramentum pœnitentiæ.

37. In defendentes, docentes, aut asserentes propositiones damnatas a summis Pontificibus post Concilium Tridentinum, tam in materia dogmatica, quam morali.

38. In asserentes posse privilegiatos *Bulla cruciatæ* eligere Confessarium non approbatum ab Ordinario loci, *ex Bulla Innoc. XII. confirmata a Bened. XIV.* anno 1744.

39. In ministros, consultores, & qualificatores S. R. Inquis. violantes secretum juramenti, prout ex juramento, quod emittunt.

40. In non denuntiantes intra legitimum tempus delicta S. Officii, *Ex edito generalium Inquisitorum*.

41. In procurantes, ut supradicti ministri S. R. Inquis. violent secretum, manifestantes causas, & materias, quæ discutuntur in tribunalibus S. Officii: *Decretum Clem. XI. 1710. 24. Junii*: Et contra Inquisitores, qui recipiunt ab inquisitis, aut ab eorum propinquis, & amicis munera pro causis spectantibus ad S. Officium, aut recipiunt munera a Patentibus ejusdemque generis, pro litteris patentibus, etiam in minima quantitate; *Decr. Clem. XI. 1701*, quod *Decretum* extenditur ad ministros Inquisitionis Romæ.

42. Contra officiales Curie laicalis, non restituentes Curie ecclesiasticæ confugitos ad Ecclesiam: *Bulla Benedicti XIII.*

Ex quo, anno 1725. §. Quicumque.

43. Contra se adscribentes novæ conventiculæ dictæ de *Liberi Muratori*, aut dant auxilium, sive favorem: *Bulla Clem. XII. In eminenti*, ann. 1738.

44. In religiosos professos, & clericos initiatos sacris, matrimonium contrahentes. *Clem. Eos*, de consanguinitate.

45. Contra facientes mercimonia Misarum nempe retinentes pro se aliquam summam, & illas celebrare facientes minori pretio, quod receperunt. Si sint sæculares incurrunt excommunicationem Papæ reservatam, & si ecclesiastici, incurrunt suspensionem, pariter Papæ reservatam. *Bulla Bened. XIV. Quanta cura*: ann. 1741.

46. Contra Confessarios absolventes eorum complices in materia sexti præcepti: & contra absolventes eosdem Confessarios, *Bulla Benedicti XIV. Sacramentum pœnitentiæ* §. *Domum magnopere*, ann. 1741.

47. Alia ejusdem *Bulla, Ex quo singulari*, ann. 1742 Ubi excommunicat eos, qui non servant, vel servari non curant, ab ipso statuta circa ritus Siænesis.

48. Contra Cardinales, aut Nuntios Apostolicos, dantes licentiam mulieribus, ingrediendi monasteria religiosorum: *Bulla Benedicti XIV. Regularis disciplina*, ann. 1742.

49. Contra defendentes praxim damnatam nonnullorum Confessoriorum, scribere volentium a pœnitentibus nomen, & habitationem complices, aut perperam interrogantes: *Bulla Benedicti XIV. Ubi primum*, anno 1746. 2. Junii.

50. Contra Cardinales etiam Legatos a latere, aut Nuntios Apostolicos intrantes monasteria monialium, *Bulla Bened. XIV. Salutare*.

51. Contra laicos edentes, aut publicantes libros, theses, vel folia, impugnando diminutionem festorum. *Bulla ejusdem, Non multi menses*.

52. Contra loquentes circa extinctionem Jesuitarum in pro vel contra: *Ex Bulla Clement. XIV. anno. 1773.*

118 Hæ sunt excommunicationes Papæ reservatæ, & fortassè erunt aliæ, non enim est facile omnes numerare, nec immorari in exponendo alias plures non reservatas, quæ tam in Trident. Conc.

quam alibi reperiuntur; cum namque a quolibet valeant absolvi Confessario, non adeo earum notitia est necessaria. Sunt præterea quædam excommunicationes a jure Episcopis reservate, quas de industria nunc omittimus, ut pote intract. 27. indicatas.

119. De facultate autem absolvendi a reservatis virtute Bullæ cruciatæ, aliorumque privilegiorum in suis respective locis dictum est sat: de Papalibus vero in casu impedimenti ad Sedem Apostolicam adeundi: vide dicta tract. 27. n. 377. Cujus doctrina applicari etiam potest impeditis recurrendi ad Episcopos.

PUNCTUM X.

De suspensione.

120. Inq. 1. Quid sit suspensio? R. Est *censura ecclesiastica, qua clericus privatur ab alicujus ministerii ecclesiastici exercitio*. Ponitur *censura* loco generis, per quod convenit suspensio cum aliis censuris, & differt ab irregularitate, & aliis pœnis, quæ censuræ non sunt, ac etiam a suspensione celebrandi injuncta clerico a Confessario. Dicitur *qua clericus*, ut denotetur subjectum suspensionis proprie talis; laicus enim, aut femina nequeunt proprie suspendi, licet impediti possint ab exercitio alicujus muneris, aut officii. Denique additur *ab alicujus ministerii ecclesiastici exercitio*, ut exprimat effectus proprius suspensionis. Nam excommunicatio, & interdictum privant potestate ecclesiastica, ut est communicatio cum aliis; suspensio vero, ut est exercitium alicujus ministerii. Effectus igitur suspensionis est privare ab officio, vel beneficio in totum, vel in partem, prout ipsa expresserit; solum enim privat eo, quod declarat.

121. Inq. 2. Quotplex sit suspensio? R. Alia est divisio ejus ex parte rei, alia ex parte temporis. Ex parte rei, alia est partialis, ut suspensio ab officio tantum, vel a beneficio tantum, vel a jurisdictione, & non ab ordine. Alia est totalis, ut suspensio ab officio, & beneficio simul, vel ab omni usu, & exercitio clericali. Alia est ex parte temporis, & dividitur in temporalem, & perpetuam. Il-

la est, quæ fertur ad tempus limitatum, ut ad mensem, vel annum; ista vero, quæ fertur sine temporis limitatione. Alia est pure pœnalis, quæ fertur ad puniendum delictum præteritum: alia medicinalis, quæ intendit rei emendationem, & hæc, non illa, est proprie censura. Alia divisiones censuris communes conveniunt etiam suspensioni, ut quod sit *lata, ferenda, a jure, vel ab homine*.

122. Suspensus potest esse vitandus, & toleratus. Ille est suo nomine expressus; hic autem, licet sit publice suspensus, non nominatim denunciatus. Non adest prohibitio Ecclesiæ communicandi cum suspensis vitandis. Unde potest quis licite audire Missam a Sacerdote suspensus ab ordine, & vitando: dummodo non ei ministret in sacrificio; hoc enim est illicitum, non primum. Suspensus ubique est talis, quia suspensio afficit personam. Suspensus a beneficio, non est ab officio, nec e contra. Verum suspensio simpliciter, & absolute lata est totalis, privans ab omni exercitio clericali. Suspensus a jurisdictione non est suspensus ab ordine, nec e contra. Suspensus absolute ab ordine, suspensus est omnis ordinis usu. Suspensus ab ordine majori, non suspenditur a minori, nam pœnæ non sunt ampliandæ: unde Episcopus suspensus a collatione tonsuræ, non est suspensus ab ordinum collatione. Verba igitur præcepti inspicienda sunt, quia suspensio solum privat ab eo, quod exprimit, ut dictum est; nisi dum non expressum ita connectatur cum implicito, ut unum sine alio exerceri nequeat. Ex quo fit, quod suspensus ab ordine sacro exereendo, nequit absolvere sacramentaliter, quia absolutio sacramentalis est exercitium ordinis, & non solum jurisdictionis.

123. Actus suspensi vitandi a jurisdictione invalidi sunt, tolerati vero validi. Unde absolutio data a vitando suspensus a jurisdictione est nulla; a tolerato autem valida. Validi pariter sunt omnes actus ordinis, nisi eorum valor pendeat a jurisdictione, ut dictum est de absolute. Violare suspensionem est peccatum grave; imo suspensus ab ordine, illius actum exercens, fit irregularis.

124. Inq. 3. An suspensio ferri possit in communitatem? R. affirm. Quia plu-

res

Cap. II. De censuris in specie.

res actus, a quibus privat, conveniunt communitati, ut canere in choro, & alia ministeria. Non tamen afficit singulas communitatis personas, nisi quatenus unum corpus constituunt, & quoad officia communia. Potest etiam hoc modo ferri ob culpam alienam, sicut interdictum ob culpam principalium communitatis. Tunc autem suspensio respectu innocentum non est censura; sed quædam inhabilitas ad actus vitatos exercendos.

125. Inq. 4. Quis possit absolvere a suspensione? R. Si lata sit ab homine in aliquem determinatum, solus, qui eam tulit, Superior, ejus successor, vel delegatus ab ea absolvere valet. Si lata sit generaliter absque reservatione, a quolibet Confessario: Si est lata ad tempus, ut ad mensem, cessat elapso tempore; & idem est de lata sub conditione, ut donec satisfacias; tunc enim Juxta ligat, & simul absolvit pro tempore elapso, aut in quo ponatur satisfactio. Suspensio, quæ non est censura, sed punitio, non indiget absolute; nec absolvi valet ex vi jubilei, aut privilegii tribuentis facultatem absolvendi a censuris. Potest impediti suspensio ab officio media appellatione legitima eam præcedente, & etiam subsequente, si fuerit suspensio a beneficio; nisi Episcopus suspendat aliquem ob causam occultam ab ordine, aut ejus exercitio; tunc quippe non datur locus appellationi. Denique valet Episcopus absolvere ab omni suspensione ex delicto occulto contracta, ex *Trid. cap. 24. sess. 6.*

126. Inq. 5. Quenam sint suspensiones magis obviæ? R. Sunt sequentes. In recipientes scienter ordines ab Episcopo hæretico, schismatico, excommunicato, aut simoniacò denunciatis. Ex *cap. 1. & 2. de schismat.* In recipientes ordines sacros ab Episcopo, qui Episcopatu renuntiavit. Ex *cap. 1. de ordinatis.* In conferentes primam tonsuram alieno, aut conjugato. *Trident. sess. 23. cap. 4.* In Abbates, & exemptos concedentes litteras dimissorias aliis, quam suis subditis regularibus. *Ibi cap. 10.* In recipientes ordines ab alieno Episcopo sine proprii licentia. *Ibi cap. 8. & 9.* In eos, qui sine necessitate ordinantur primo anno Sedis vacantis, *ibi sess. 7. cap. 10.* In Sacerdotem sæcularem, vel regularem, qui matrimo-

nio jungit, aut benedicat nuptias absque licentia Parochi. *ibi sess. 22. cap. 1. de reform.* In beneficiarios utentes publice vestibibus variis coloribus contextis. *Clem. 11. de vit. & honest. Cler.* In clericis in sacris concubinariorum. *cap. Præter. dist. 32.* In regulares apostatas recipientes in apostasia ordinem sacrum. *cap. ultim. de apostatis.* In regulares sibi applicantes, vel defraudantes decimas. *Clem. 1. de decimis.* In regulares a religione expulsos, qui suspensi manent ab ordine, & jurisdictione. Ex *decreto Urbani VIII.* In clericis, qui ex mercimonio Missarum dant partem stipendii, & retinent aliam, Ex Bulla Bened. XIV. *Quarta cura.* In Confessarios, qui sine approbatione Ordinarii loci absolvent pœnitentes virtute cujusvis privilegii. Ejusdem Bulla *Apostolica indulta.* In Sacerdotes sollicitantes, & abutentes sacrificio Missæ ad sortilegia. Ex *decreto S. Officii coram ipso.* In clericis publicantes, vel edentes libros impugnando diminutionem festorum. Ejusdem, *Non multos menses.* In Superiores, & subditos regulares, qui ex certa industria dant, & accipiunt dimissorias ad ordines ab alieno Episcopo recipiendos, Ejusdem. *Impositi nobis.*

127. Hæc sunt suspensiones, quæ facilius incurri valent: omittuntur alia plures non adeo obviæ; omnes quippe numerare velle, neque vacat, nec congruit Compendio.

PUNCTUM XI.

De depositione, & degradatione.

128. Inq. 1. Quid, & quotplex sit depositio? R. Quod depositio alia est simplex, alia dicitur degradatio. Illa definitur *pœna privans clericum officio & beneficio in perpetuum jure ordinario irremissibiliter*. Degradatio etiam potest esse verbalis, aut realis. Verbalis est *pœna ecclesiastica, qua clericus privatur omni officio, & beneficio in perpetuum, retento solo privilegio canonis, & fori*. Realis est: quando clericus, primo verbaliter degradatus, certa solemnitate expoliatur omnibus vestibus, ac insigniis clericalibus, omnique privilegio clericali. Unde patet, quod depositio, & degradatio verbalis fere idem sunt, & quod

Ddd

quod

quod ab utraque differt degradatio realis in earum executione, & solemnitate, per quas privatur clericus omni privilegio clericali. Nulla ex illis est censura, hæc enim est medicinalis, illæ vero sunt pœnæ mere punitivæ: sicut etiam est suspensio perpetua, quæ coincidit, dum est totalis, cum depositione, & degradatione verbali.

129. Differunt in eo, quod tam suspensio perpetua quam depositio simplex privant fructibus beneficii, non vero ejus titulo ipso facto, at degradatio sive verbalis, sive realis privant etiam titulo, & possessione beneficii, nec sic degradatus aliter meretur ab Ecclesia, quæ illum a se rejicit, & sibi imputet, quod medicare cogatur; nec id eedit in dedecus Ecclesie; cum ob sua crimina merito privetur omni honore, officio, & beneficio. Differt etiam degradatio verbalis a reali in eo, quod illa non privat privilegio canonis, aut fori, hæc vero privat illo, ut constat ex earum definitione. Item quod illa est actus jurisdictionis Episcopalis; hæc vero est actus Jurisdictionis, & ordinis Episcopalis, ideo nequit fieri nisi ab Episcopo consecrato, & Pontificaliibus induto. Degradatus etiam realiter, si in sacris sit constitutus, tenetur ad horas canonicas, & ad votum castitatis, alias reportaret eodem modo ex iniquitate. Potest, si est Sacerdos, valide, esto illicite, consecrari, & in articulo mortis valide, & licite absolvi, alio deficiente, quia retinet caracterem.

130. Inq. 2. Ob quæ crimina clericus degradari possit? R. Quod olim degradatio verbalis fiebat ob furtum, adulterium, homicidium, & similia; modo mitior est ecclesiastica disciplina. Unde ob atrociora crimina infligitur degradatio verbalis, nempe ob homicidium directe voluntarium, ob furtum Eucharistiæ cum pixide, vel sine illa, ob stuprum, adulterium, & concubinatum, post monitionem non emendatum. At delicta, ob quæ infligitur degradatio realis, sunt apostasia, hæresis sine resipiscentia, falsificatio litterarum apostolicarum, sodomia aliquoties commissa, calumnia, seu conspiratio in proprium Episcopum, accedente incorrigibilitate, & alia hujusmodi, ob quæ valet clericus tradi brachio sæculæ

ri, capite plectendus, facta solemniter degradatione reali. Solemnitas autem pro illa requisita, parum, aut nihil deservit ad forum internum, ideo illam missam facimus. Cum degradato realiter solus Papa valet dispensare, ut ad statum pristinum redeat; atque idem est de degradato verbaliter, nisi delicta sint minora adulterio, & acta de illis pœnitentia: quo in casu poterit cum eo Episcopus dispensare.

PUNCTUM XII.

De interdicto.

131. Inq. 1. Quid sit interdictum? R. Est *censura privans usu divinorum, quatenus a fidelibus possunt haberi*. Dicitur *censura*, in quo convenit cum excommunicatione, & suspensione, a quibus differt per sequentes particulas. Excommunicatio quippe privat divinis, quatenus sunt communicatio cum fidelibus; suspensio, quatenus sunt exercitium potestatis clericalis; interdictum autem privat illis, quatenus possunt participari a fidelibus. Differt etiam ab illis in eo, quod interdictum non privat jurisdictione, sicut excommunicatio, & suspensio.

132. Dividitur primo interdictum in locale, personale, & mixtum. Locale est, quod afficit principaliter locum; personale, quod principaliter afficit personas, mixtum vero, quod æque afficit personas, ac locum. Deinde locale, & personale dividitur in generale, & speciale; illud est, quo interdictum regnum, Diocesis, aut civitas: istud vero, quo interdictum collegium, familia, aut persona determinata suo nomine, vel qui tale delictum commiserit. Interdictum loco, non censentur interdictæ personæ, nisi exprimanur, pariter interdicta persona, non est interdictus locus, nisi exprimat, quia interdictum locale, & personale sunt diversæ speciei; sicut etiam interdictum generale, & speciale, tum loci, tum personarum. Unde interdicto Regno, non sunt specialiter interdictæ illius Ecclesie, nec contra; nec interdicto hoc loco, oppido, aut collegio, sunt interdictæ personæ illorum, nisi prout constituunt oppidum, aut collegium. Ideo quæ si desinant esse illorum membra, alio

domicilium mutando, absoluti sunt ab interdicto personali generali. Interdicti vero specialiter, ubique remanent tales, & etiam illi, qui causam dederunt interdicto generali locali, aut personali.

133. Interdicto populo, non sunt interdicti exteri, peregrini, nec clerici populi, ideo poterunt isti celebrare: & vice versa interdicto clero, non judicatur interdictus populus. Unde poterit hic alios Sacerdotes adducere ad Missas celebrandas, & sacramenta ministranda. Sub interdicto generali personali non comprehenduntur Episcopi, nisi exprimanur, sic disponente jure quoad interdictum, & suspensionem. Interdictum locale civitatis afficit etiam suburbia contigua. Pariter interdicta Ecclesia, interdicuntur cœmeterium, ac etiam cappellæ ei contigua. Interdictum autem cœmeterio, non interdicuntur Ecclesia, quia accessorium sequitur principale, sed non contra. Interdictum observatum a Matrice populi, debent observare regulares sub pœna excommunicationis majoris lata sententiæ, *Ex Clem. 1. de sent. excom.*

134. Inq. 2. Quis valet ferre interdictum? R. Posse Episcopos, & alios jurisdictione in foro contentioso gaudentes. Prælati autem regulares licet possint ferre interdictum personale pro suis subditis, non tamen locale pro suis Ecclesiis, nisi etiam in plebem jurisdictionem habeant.

135. Inq. 3. Ob quæ delicta possit ferri interdictum? R. Solum ob peccatum grave ferri posse, sive illud perpetretur ab aliquibus tantum, sive ab omnibus interdictis. Gravior culpa requiritur ad interdictum generale, quam ad particulare, seu personale speciale; quia illud plures isto comprehendit, ideoque est major pœna, quæ solum pro majori culpa imponi valet. Interdictum autem, & suspensio ferri possunt pro culpa aliena. Violare interdictum est gravis culpa, & qui illud violat, exercendo actum ordinis, fit irregularis.

136. Inq. 4. Quot sint effectus interdicti? R. Quod interdictum absolute latum tres habet effectus. 1. Est privatio activa, & passiva divinorum. 2. Est privatio aliquorum sacramentorum. 3. Privatio sepulture ecclesiasticæ. Alius effectus interdicti, non absoluti, sed specialis, est

privatio ab ingressu Ecclesie. Intelligitur privatio formalis, id est assistendi officii sacris, audiendi Missam, & sepeliendi in Ecclesia, non vero recipiendi sacramenta, dum officia non celebrantur, nisi aliud Superior exprimat. Poterit autem audire, aut celebrare Missam in oratorio privato.

137. Per *primum* effectum interdicti absolute lati nomine *divinorum* intelliguntur pariter officia divina, Missæ, & alia functiones publicæ Ecclesie, a quibus privat interdictum. Verum *ex cap. Alma mater* possunt omnia celebrari a clericis, & religiosis quatuor conditionibus. 1. Quod fiat submissa voce, aut sine cantu. 2. Januis clausis; ita tamen, ut volentibus ingredi aditus pateat, pro quo expedit ostiarium ponere, qui admittat privilegiosos, & ceteros laicos excludat. 3. Non pulsatis campanis, nisi ad concionem, quæ officium divinum non reputatur; prohibetur enim omnis campanæ usus pro officii divinis, ac etiam pro Missis ad sanctus. 4. Exclusis interdictis nominatim. Si autem sic interdictus nolit exire, debent clerici cessare a divinis officii. Secus coram illo celebrans fit irregularis, utpote violans censuram per exercitium ordinis.

138. At suspenditur interdictum in *cap. Alma mater*, in quatuor festivitibus, a primis vespere Natalis Domini, Resurrectionis, Pentecostes, & Assumptionis B. V. quod privilegium concessum a Bonifacio VIII. extenditur ad diem Corporis Christi a Martino V. & ad ejus octavam ab Eugenio IV. & ad diem, & octavam purissimæ Conceptionis matris Dei a Leone X. In his diebus festis teneantur fideles audire Missam, & probabilius in festis in quibus, ex privilegio Bullæ cruciatæ illam possunt audire. Regulares ex privilegio valent tempore interdicti privatim celebrare divina, & admittere ad illa suos familiares, procuratores, & operarios.

139. Per *Secundum* interdicti effectum solum prohibetur receptio ordinis, Eucharistiæ extra articulum mortis, & extremæ unctionis, quando alia sacramenta recepit infirmus. Unde valent recipi baptismus, confirmatio, Pœnitentia, & matrimonium; atque etiam, ut dictum

est, in necessitate Eucharistia, & extrema unctio. Per tertium effectum privantur sepultura ecclesiastica etiam innocentes, & infantes; non autem clerici specialiter non interdicti, nec alii privilegiati, qui causam interdicti non dederunt. Clerici enim possunt sepeliri sine pompa ecclesiastica, & alii cum pompa in privilegio sibi concessa. Sepeliens specialiter, & nominatim interdictum incurrit excommunicationem majorem, *Ex Clement. 1. de sepulturis.*

140. Inq. 5. Quis possit absolvere ab interdicto? R. Sub distinctione. Vel enim interdictum est personale speciale latum a jure non reservatum, ab hoc quilibet Confessarius absolvere valet. Vel est reservatum, vel ab homine latum, aut personale generale, aut locale generale, vel speciale, & hoc solum tolli potest ab eo, qui illud possuit, ab ejus Superiore, aut ejus successore. Nec in virtute Bullæ, aut jubilei relaxari quit, quia locus aut communitas nequeunt sacramentaliter ab solvi. Vel est latum ad tempus, vel donec satisfacias, & hoc, elapso tempore, aut satisfactione præstita, tollitur. Vel interdictum est deambulatorium, aut si interdicatur locus, ad quem Petrus v. g. pervenerit, & hoc tollitur, Petro inde recedente. Vel denique est latum contra communitatem, & tunc, ipsa dissoluta, evanescit interdictum.

141. Inq. 6. Quid sit cessatio a divinis? R. Est prohibitio ecclesiastica clericis imposita, ut abstineant ab officiis divinis, & sepultura ecclesiastica. Non est censura: sed potest esse generalis alicujus regni, aut Diocesis, vel specialis hujus Ecclesiæ, sicut interdictum. Imponitur in signum gravissimi mæoris ob injuriam Deo, & Ecclesiæ irrogatam, ut ab ea delinquentes desistant, & Ecclesiæ satisfaciant. Non afficit determinatam personam, sed illam, aut illas Ecclesias, pro quibus fertur, ideoque in eis cessant officia divina, organa, laudes Dei publicæ, & sacrificia. Solum enim valet celebrari una Missa cum assistentia unius ministri ad renovandam Eucharistiam, & ad illam consecrandam pro viatico alicujus infirmi. Nec valent ministrari sacramenta, nisi baptismus parvulis, & poenitentia, & Eucharistia adul-

tis in articulo mortis. Possunt tamen fideles in Ecclesia sepeliri sine officio funerari, nisi alias obsit impedimentum interdicti.

142. Violans cessationem peccat graviter, non autem fit irregularis. Regulares debent illam observare sub pœna excommunicationis, ut dictum est de interdicto. Qui causam dedit cessationi tenetur clericis restituere damna ex ea secuta. Solum qui posuit cessationem, ejus superior, aut successor valet eam tollere, quia non fertur a jure, sed ab homine.

143. Inq. 7. An expediat ponere interdictum, aut cessationem ob furtum pixidis, simul cum hostia, vel particulis consecratis? R. affir. Quia si Laban tantum doluit ob suos Deos inanes furatos, si David renuebat dare oculis suis somnum, & palpebris suis dormitationem, donec inveniret locum Domini, vel Dominum omnis loci, si Roma, sublato e Capitolio simulacro Amoris, turbata ex maestitia, solertissime querebat, nec aliud cogitabat, nisi illud omni via perquirere, cunctis vociferantibus: *Matrem quæso Romane requiras*: quanto amplius requirendus est verus Deus, omniumque Dominus omni diligentia, donec inveniantur? Ita anno 1645. contigit Metinæ Campi in Hispania, cum quidam seclusus, suadente diabolo, abstulit e sacrorio cujusdam Ecclesiæ vas, in quo servabatur sacrosancta Eucharistia, cujus deploranda absentia perturbata civitas, vocibus, lacrimis, & clamoribus cœlum penetrabat, atque ab Ordinario agnita, posuit interdictum, & omnium officiorum cessationem, donec Deus veri amoris inventus fuit. Idem fere accidit in alia urbe, ubi sacra Eucharistia projecta in campum a sacrilego, horrendoque fure, inventa fuit. O res mirabilis! venerata a plurimis formicis, quæ, velut agnoscentes creatorem suum, fecerunt illi aristis, & paleis quemdam Tronum, ubi ei venerabundas excubias alternatim se facere depromebant. Sic inter alios refert N. Chronica Tom. 6.

Nota autem, quod unus ex illis latronibus comedit particulas consecratas, alter eas projecit in terram: & licet uterque horribile sacrilegium commisit; hic

sc-

TRACTATUS TRIGESIMUS SEPTIMUS

DE IRREGULARITATE.

CUM irregularitas sit pœna ecclesiastica, non parum cum censuris connexa, ideo opportune post harum elucubrationem, de illa tractatum institui-

CAPUT UNICUM.

De irregularitate tum in communi, tum in particulari.

PUNCTUM I.

De irregularitate in communi.

1. Inq. 1. Quid sit irregularitas? R. Est impedimentum canonicum privans hominem primario a susceptione ordinum, & secundario ab exercitio susceptorum. Dicitur impedimentum, & non pœna, ad differentiam censuræ, quæ semper est pœna, & non incurritur sine culpa: irregularitas autem potest incurri sine culpa, & non semper est pœna, sed est quedam inhabilitas, vel defectus. *Canonicum* dicitur, quia est impedimentum ex mero jure ecclesiastico; non enim datur irregularitas ex jure naturali, aut divino. *Irregularis* idem est, ac *sine regula*, vel *contra regulam*, aut *canonem*. Unde femina, perpetuo amens, & non baptizatus non suat proprie irregulares, sed inhabiles ad ordines jure divino, aut naturali. Per reliquas particulas inuivitur effectus irregularitatis, qui est privare directe a susceptione ordinum, & indirecte ab exercitio susceptorum. Differt etiam per eas a censuris, quia irregularitas privat a susceptione ordinis, ut ordo est; excommunicatio vero privat eo, in quantum est communicatio cum aliis, suspensio, in quantum est exercitium potestatis clericalis, & interdictum, in quantum est officium divinum.

2. Inq. 2. Quotuplex sit irregularitas?

R. Quod primo dividitur in totalem, & partialem. Illa privat tum a susceptione ordinum; tum ab exercitio susceptorum. Hæc autem solum ab exercitio ordinis suscepti, vel solum ab ulterioris susceptione, ut Diaconus, cui erutus est sinister oculus, non privatur usu ordinum, quos recepit, sed tantum receptione Sacerdotii. Utraque subdividitur in perpetuam, & temporalem. Illa est, quæ solum dispensatione tollitur; hæc vero temporis lapsu, ut si quis bona fide ante legitimam ætatem recepit ordines, quos subinde, adveniente ætate, exercere valet.

3. Secundo dividitur in eam, quæ est ex delicto, & in eam, quæ est ex mero defectu. Illa est octuplex. 1. Ex homicidio injusto directe voluntario. 2. Ex injusta mutilatione directe voluntaria. 3. Ex homicidio indirecte voluntario, seu casuali. 4. Ex iteratione baptismi. 5. Ex violatione censuræ. 6. Ex illegitima receptione, seu administratione ordinum. 7. Ex delicto, cui annexa est infamia. 8. Ex apostasia a fide, vel hæresi ex terna. Irregularitas ex defectu habet novem species. 1. Ex defectu natalium. 2. Ex defectu animæ. 3. Ex defectu corporis. 4. Ex defectu ætatis. 5. Ex defectu congruæ subventionis. 6. Ex defectu libertatis. 7. Ex defectu famæ. 8. Ex defectu sacramenti, seu ex bigamia. 9. Ex defectu lenitatis.

4. Inq. 3. Quotuplex sit effectus irregularitatis? R. Est triplex. Primus privare a receptione ordinum, etiam primæ tonsuræ; licet enim non sit ordo, est tamen via ad ordines, & constituit in ordine clericali. Unde graviter peccaret irregularis, qui tonsura initiaretur. Secundus privare exercitio ordinum susceptorum. Tertius privare receptione cujuscumque beneficii, dignitatis, aut pensionis clericalis. Verum dum irregularitas est tantum partialis, solum privat receptio-

ne